

gis objecta, maxima subinde damna fecit, optimum simul experta, ut media neutras sequeretur partes, cum situs ratioque et Ducatus et Principatus Montisbeligardensis omnino postulet, ut Dux Regem Galliae aequè minus offendat ac augustam Domum Austriae, agnoscens supremum Regis dominium in cunctis dynastiis Montisbeligardensibus. Qua propter maxime optandum est, ut systemate Europae interea multum commutato, primariaque ipsius aequilibrîi bilance aliorum locata, quin etiam novo foedere Germanico in plures forte annos firmata, pax inter augustas Domos Austriae et Franciae amicitiaque, affinitatis simul vinculo arctius copulata, longum perduret in aevum.

§. 61.

Fertilitas.

Cunctis fere naturae beneficiis largiter praedita est Wirtembergia, ferax quippe vini, frumenti, frugumque et leguminum omnis generis; pariterque foecunda equorum, armentorum, ovium, porcorum, caprarum, ferarum, volucrum, piscium, lignorum, ferri, salis, et aquarum mineralium etc. Et licet non idem ubique sit ingenium soli, parsque Ducatus inferior pomariis vinetisque suis, quin et foecunditate annonae praestet superiore, quae praesertim in silva Hercynia per milliaria in spatia excurrit sylvestria: utraque tamen, mutuo